DE MALIGNITATIS IN MORBIS NOTIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS SCRIPSIT ATQUE
DIE XX. M. AUGUSTI A. MDCCCXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

IGNATIUS BRAUN.
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
G. LAUER, MED. ET CHIR. DD.
H. GOLDSCHMIDT, MED. ET CHIR. CAND.
C. KRUEGERMANN, PHIL. CAND.

BEROLINI, TYPIS JORDANIANIS.

PATERNIS MANIBUS

FILII PIETAS.

PRAECEPTORIBUS

REVERENDISSIMIS

DISCIPULI GRATIA.

Verba valent, sicut nummi, consensu dantis et accipientis.

Car. a Linné clavis medic. dupl. edd. Baldinger 1767. 8. p. 8.

Obliteratas nondum esse, quas iam ab antiquitus egerint scriptores querelas, de incertis et confusis, immo de inanibus rerum notionibus verbisque, haud una salutaris nostrae doctrinae docet pagina. Qua quidem confusione impediri multo magis veritatem, quam ipso errore, egregius iam monuit prioris aevi scriptor 1), neque nuperi 2) destitutus consensu: cum quamque humanam scientiam tum nostram artem haud parum, quo minus proficiat, ex magno nominum (terminorum technicorum q. v.) prohiberi numero, quibus certiori non suffultis notioni, unicuilibet hanc illamve rem lubeat supponere. Neque, quod neminem fugit, ultimum ibi locum tenet malignitas, de qua disserere qualiacunque humeri valeant, nobis proposuimus. Quantam enim tum arti salutari, tum generi humano cladem at-

1) Baco de form. calid. aph. X.

2) Formey verm. med. Schriften. Berl. 1821. 1r Bd. p. 103: „Wir haben eine grosse Anzahl von Namen eingeführt, die auf keinem festen Begriff beruhn, und unter denen sich ein Jeder etwas Anders denken kann.

tulerit ambiguae huius denominationis abusus, quem „simiolam" merito dicit Hippocraticus eximius Baglivi 1), quis est, qui nesciat? Num minori iure „eius inventionem ipsa pyrii pulveris longe lethaliorem" accusaverat iamiam oculatissimus morborum pictor, Sydenhamus 2)? Quem haud pauci sequuntur inter recentioris aevi auctores, ut de Haen multique alii, quum contra alii servandum nomen praetulerint, ut clariss. Brendel et Baldinger: exinde iam patet dignitas eius ambigua. Neque abest ipsa notio in recentissimorum temporum scriptis, quamvis nimirum quis dixerit, minus usitatam nunc temporis esse hanc malignitatis formulam, qua secus, ac prioris aevi illorum more, de febre maligna, tanquam propria et sui iuris febrium specie, sermo feratur. Monitum tamen velim, serpere etiam hucusque „malignitatis pruritum," necsi amplius typho nostro vel febri nostrae, sporadicae saltem, nervosae (discrimine videlicet nondum satis distincto) tale nomen contigerit, occurrere id hodiedum protinus, ubi de mala epidemiae indole v. c. Belgicae nuperrimae, loquuntur vel de aliis malis funestum nacturis eventum, e. g. de angina maligna, carbunculo maligno, e. s. p. Neutiquam tamen ab altera parte, illorum reus haberi velim superlationis, qui in genere exanthematicum v. c. inflammatoriae formae morbum, nec in specie unquam, nisi

1) De praxi med. edd. Baldinger L. I. C. V. §. IX.
2) Sched. monit. de nov. febr. ingress. Genev. 1684. 12. p. 50.

genuinae sthenicae inflammationis adinstar pendendum iudicant. Id enim modo mihi videtur haud diffitendum, et mutato ad partem nomine 1), si quidem, certe vix re ipsa: operae pretium 2) adhucdum esse, argumentum ex hac materia depromtum repetere, quod quantulocunque cum fructu, pro tenui mea parte virili expositurus in hocce libello protinus eo me vertam, ut historica quaedam de re nostra proferam. —

Malignitas, Cacoëthe, κακοηθεια (a κακος-ἦθος) Bösartigkeit, malignité, malignity, malignità, vox est perantiqua 3), alio tempore aliarumque scholarum scriptoribus alium exhibens sensum, qualemcunque vero, contraria sibi semper opposita benignitate εὐηθεια. Haec enim, tanquam morbi boni moris indoles accidentalis iam a Castellio 4) exhibetur: quando morbus habet symptomata naturae suae congrua et mitiora propter causae morbificae qualitatem non nimis a statu naturali recedentem. Ex quibus iam patet, haud simpli-

1) Cel. Lindemann in praef. ad Brendelii praelect. de coac. praenot. Berol. 1798. 8. Sub nominibus: „malignum etc. intelligendum est hodie sic dictum putridum, nervosum, vel aliae nobis occultae res. Quae quidem omnia nullam rationalem medendi methodum indicant, et ingenio potius, quam regula tractanda sunt.“

2) Exp. Borkheim: Was sind bösartige Fieber, und wie ist der Begriff bösartig zu bestimmen, wenn die Annahme derselben ferner statthaft sein soll? in: Neue Breslauer Sammlungen aus dem Gebiete der Heilkunde. 1r Bd. Bresl. 1829. 8. p. 324.

3) Brendel de cognat. paraphren. et febr. malign. §. 3.

4) Castelli lexic. medic. Patav. 1713. 4.

cem propriamve, sed relativam modo habendam esse benignitatis notam, et contra malignitatis. Quae iam firmius fere probatur summo pathologo Gaub 1), cui morbus est benignus, qui, etsi magnus, apta tamen medicatione tractabilis, nec funestis nec insolitis terret symptomatibus. Item eum relative solummodo ad ordinis morborum consueti normam ducit cel. Blanchard 2): nullis vehementibus saevisque supra ordinarium cursum stipatum symptomatibus. Praeclaris autem verbis immortalis Burserius 3) monet: haud morbi genus tali constitui denominatione, sed minorem modo (contra malignitatem) indicari pravitatem. Latius iam ill. de Haen 4) extendit verbi fines ex medicae scholae consuetudine eo positos, ut benigni morbi appellentur, quos causae leviores genuerint, symptomata vi, ordine, numeroque consuetis concomitentur, vires non admodum deserant, remedia solita facile curent, quos medici sive ignari sive pravi minus peiorent, e. q. s. rel., quae omitto quasi ἀλλοτρια. Propius iam a Gaubio absunt recentissimi aevi scriptores, quorum ill. Conradi 5) hunc fere in pedes sequitur, ill. Puchelt 6) clarius iam significationis demonstrat infirmitatem, si quidem illa neutiquam inti-

1) Gaubii institut. pathol. §. 875.
2) lexic. med. edd. Isenflamm.
3) Inst. med. pract. cur. Hecker. 1826. Vol. 1. p. 102.
4) Rat. med. cont. T. I. p. 1. Cap. 1.
5) Handb. d. allg. Pathol. Marburg 1822. 8. p. 56.
6) System d. Medicin. 1r Th. Heidelberg 1826. p. 77.

mam morbi naturam sed externam modo potius formam insignit, quae in uno eodemque morbo tot ludere potest varietatum, quot homines sunt ab eo correpti, unde ipsius diagnosis et prognosis praesertim errores ut oriantur, facile fieri potest.

Beatus Berends, Galeno indulgens, benignum notat morbum, in quo victrix vis vitalis (medicatrix) affectionem oppugnando viget 1), ita ut morbus haud brevi organismum corrumpat vel consumat. Censum huius notae capit ex regulari decursu, qui a sufficiente vis vitalis pendet vigore 2): capere autem eum mavult egregius Sundelin ex organismi systematis sive sphaerae, quam potissimum morbus corripuerit, dignitate 3): de abrogata ab utroque febrium specie quoad benignitatem et contra, infra locus erit dicendi. Ad Berendsii fere partem cedit quoque excell. Richter 4) Nuperrima ill. Friedländer 5) definitio pathologica ad eandem fere ac Gaubii et Conradii redit. Sed haec de benignitatis nota sufficiant, in quam eo solo consilio discessi a proposito, ut huius iam notio, cui respondet ab opposita parte malignitas, vacillans quantopere ac propria firmitate exhibeatur destituta. —

Ipsam vero malignitatis vocem antiquitus iam

---

1) Berends Vorlesungen über prakt. Arzneiw. herausgeg. v. Sundelin. Bd. 1. p. 40.
2) ibid. Bd. 2. p. 12.
3) ibid. Bd. 2. p. 13. Anm. 1.
4) G. A. Richter spec. Therapie Bd. 1. Berl. 1817. p. 40.
5) Fundament. doctrin. pathol. Lips. 1828. p. 104.

usitatam fuisse, supra (p. 9.) indicatum est: haud uno enim loco 1) Coacus senex ea (ut perniciosa diathesi, quae insidiosa et clandestina aegrum gravi ac inopinato invadit periculo) denotat cum morbum, febrem 2) inprimis, tum symptoma: febrem (in specie) ex praecordiorum doloribus dicit malignam 3). De paraphrenitidis illi eadem, ac febris huius malignae habita significatione 4) hic non est locus, quo quid fusius evolvatur.

Latiores Hippocraticae κακοηθεια fines vindicat spinosus Baldinger 5) Coacarum praenotionum primis praesertim CCCLXII locis ad malignitatis ambitum relatis, unde varios illius gradus hos definit: κακον, κακιστον, πονηρον: ʼολεθριον: θανασιμον: κακοηθες denique cum indicans gradum malignitatis, in quo salutis spes, etsi minima, penitus tamen nondum abiit. Idem ex hisce Hippocratis locis signa malignitatis affert,

---

1) Prorrhet. 2. 6; de loc. in hom. 41; de morb. endem. saepius; de morb. mul. Lib. II.

2) Quatenus febris omnium fere morborum quasi est cardo, unde initium aut comitem aut finem capiunt longe plerique [Stoll aphor. de cogn. et cur. febr. 1.] haud dubitavi equidem, quin quoque hoc in libello, cum quae de febri s. d. maligna valent, tum varia scriptorum commenta, ad morbos generatim applicarem, nimirum singulari habito singularium respectu, si quae febri vel in genere vel in specie contigerunt.

3) Prorrhet. 1, 7, Coacar. 1. 48.

4) Brendel l. c.

5) Progr. illustrans malignitatem in morbis etc. Gotting 1775.

ut: καταψυξιν vel περιψυξιν cum σκληρυσμῳ, ῥιγος cum ἐφιδρωσι, καυσον, ἀφωνιαν, ὀδυνην τραχηλου e. s. p.

Magnus Pergamenus, raro, nisi quibus locis Coacum commentatus, κακοηθειας voce usus, primus peculiarem eius tradit definitionem 1): κακοηθες νοσημα ἐστι το δυναμει μεν μεγα και χαλεπον, φαντασια δ'ἀσθενες, οὐκ ἐχον κρισεως χρονους ὡρισμενους.

Neque saepius Graeci sequiores κακοηθειαν vociferantur, sed potius cum Galeno febribus s. d. malignis a symptomate quodam urgente nomina imponunt, unde typhoden dicunt a soporosa affectione, asoden, alysmoden, heloden, pemphigoden e. s. p. In subsumendis hisce singulis ab urgente symptomate denominatis febris speciebus inter malignarum genus, Brendelii 2) commentationi iam assenserat Baglivi 3), qui de iis loquendo ita pergit: „Inter has (malignas) praecipuae sunt febres quas veteres vocarunt: tritaeophyas, hemitritaeos, asodes, helodes, lipyrias, epialas: graves profecto ac lethales sunt, nisi in doctissimum prudentissimumque medicum bona sorte patiens inciderit, statim ea pariunt symptomata, quae vulgo malignitati, sed falso adscribuntur. Adscribi potius debent vel inflammationi internae et ob id turbato liquidorum progressui, unde tot gravia et inter se differentia pro-

---

1) Def. med. ap. Galen. m. 140. cf. Friedlaender l. c.

2) cf. l. c., comment. pract. in Coac. praenot., in opp. edd Wrisberg P. 1 p. 171—179, praelect. de Coac. praenot. edd. Lindemann.

3) de Prax. med. (in opp. edd. Lugd. 1710. 4. p. 54.

manant accidentia, vel cacoëthico 1) humorum apparatui in primis viis aut in massa sanguinis. Id probe noscendum et distinguendum — aliter nocebis magis, quam proficies."

Malitiam 2) (κακιαν i. q. vitiositatem in pravis morbis apparentem, cacochymiam Capivac.) exhibet mutata voce malignitatis, Paracelsus 3) inter pestis causas.

Lindenio 4) sub malignitate intelligitur proprie, soboles latentis cacochymiae pessimae, consistens in peculiari humorum et liquorum spirituosorum corruptione et dissolutione, sive putredine cum nimia vitalium et animalium virium prostratione, sive illa corruptio a contagio sive ab intrinseca causa proveniat.

Itidem fere ac Foësius vocat in morbis malignum id Gorraeus 5) generatim, quod a simplicium morborum consuetudine alienum, non facile curationem admittit.

Neque aliter vocem intelligit Ballonius 6).

Riverius 7) malignum habet morbum, cuius principio absque febri, fluidarum C. H. partium optimae ipsaeque vires vitales a causa perquam mala ita

1) Cacoëthen iam latentis alicubi cacochymiae pravae sobolem habet Lind. Sel. Med. VIII. §. 57 id, quod eleganter dictum refert Castelli in lexic. vid. sub voc. benignus.
2) ibid.
3) fragm. Med. T. III.
4) l. c.
5) Aepli von den bösartigen Fiebern p. 15.
6) ibid. cf. p. 44. 45.
7) ibid.

laeduntur et corrumpuntur, ut priva inde oriatur putredo, ex hac lenis quidem febris, sed statim pessimis stipata comitibus.

Ettmüller et Sennert 1) malignitatem quaerunt in subitanea virium deiectione absque causa evidente.

Magnus Sydenham 2) malignitatis summus obtrectator, ita loquitur: „Cum enim eae febres praesertim malignae dicantur, in quibus intensioris prae ceteris inflammationis gradus conspicitur, hinc medici se ad usum cardiacorum et alexipharmacorum, nescio quorum, contulerunt, quo scilicet per cutis poros expellant, quod somniant Venenum (hoc enim est dicendum, nisi malint verbis ludere, quam illud quod potest intelligi, serio proponere)“ — — et deinde: „Quodsi malignitatis praesentiam non tantum e maculis purpureis colligunt sed etiam ex eo, quod observaverint, febris symptomata subinde fuisse mitiora, quam quae eius naturae competere viderentur, aegrum tamen magis viribus occisum fuisse quam pro ratione temporis, a quo coepit aegrotare: respondeo, omnia haec exinde tantum procedere, quod natura a primo morbi impetu quasi oppressa devictaque non satis valida est, ut symptomata regularia et magnitudini morbi consona exserat, omnia vero phaenomena prorsus sunt anomala: etenim perturbata oeconomia animali et quasi disiecta,

---

1) ibid.
2) l. c.

febris exinde deprimitur, quae obtinente genuino naturae ductu, vigere solet."

Immortalis Morgagni 1) malignitatem ponit in repentina virium postratione neque apertis de causis orta neque ex plethora;

Fr. Hoffmann 2) in insidiis potissimum actioni vitali labefactandae structis, quaerendis autem „unice ac optime" 3) in putredinosa et destructoria elementorum sanguinis dissolutione, indeque exsurgente spirituum C. H. quoad crasin ac motum depravatione. „Veteres," inquit iam hic, „incusare solebant putredinem in corde exsistentem actionesque vitales exstinguentem, et hinc omnem febrem malignam habebant putridam, nec sine ratione." Refert exinde praeter febres ad malignos morbos, et quosdam chronicos „truculentos:" luem, gonorrhoeam, elephantiasin, herpetem, ulcera, morbos toxicos 4). Acutorum vero diversos gradus statuit hosce: pestem, exstinguendo vitales actiones exitialem, febrem pestilentialem et petechialem sphacelo partium interiorum, febres acutas malignas paullo mitioris perniciei, uti variolosas, morbillosas, dyssentericas, anginosas, inflammatorias et puerperalem 5).

1) Aepli l. c.
2) D. de malignitatis natura, in opp. suppl. II. P. 1. §. 4.
3) l. c. §. 9.
4) l. c. §. 2.
5) l. c. §. 3. Nec non egregius Sundelin (in Berends Vorlesungen 6. Bd. 2. Abth. p. 468) singularem in febre puerperali deprehendit ataxiam et omnibus probatam malignitatem cf. Burserius l. c. p. 449 et Carus Gynäkologie Bd. 2. p. 579.

Incomparabilis Boerhave 1) in repentina virium vitalium deiectione illam ponit, sed castigat idem cum medicorum principibus Sydenham, Baglivi, de Haen aliisque viris maxime egregiis abusum vocis malignitatis, hanc unicam vocans mortis periculum 2): neque possum, quin, quo loco idem Sydenhamum haud inani scrupulo expunctam hanc vocem voluisse monet, ipsa magni viri verba reddam iuniores medicos adlocuti: „Qui medici, inquit, iuniores estis, audietis saepe senes practicos vobiscum vocatos pronunciare: hic est malignitas. Nolite valde admirari hanc sapientiam: nihilo plus norunt de morbi natura, quam Vos ipsi, sed experti frequentes funestos effectus similis morbi, audent pronunciare. A posteriori norunt, quid sit malignitas, a priori, quid sit, vobiscum ignorant."

Insidiosam ludentem levitatem cum omnium tum virium inprimis inaequalitate earumque debilitate accusat in malignitate ill. Wedel 3), malignum s. mali moris dicens morbum a similitudine perfidorum, subdolorum sive hominum sive brutorum, canum ad instar, qui non latrant, sed a tergo mordent.

Convenit fere cum Wedelio ill. Nicolai 4): refutata enim bene malignitatis aliorum nota contagiosa 5),

1) Inst. med. §. 919.
2) Prael. acad. edd. Haller. T. VI. p. 288. 289.
3) Pathol. dogm. l. c. 7.
4) Progr. de notione morbi maligni.
5) „Definiunt: morbum, qui exhalationibus suis sibi similem in alio subiecto producere valet, sed haec definitio non est morbi maligni, verum contagiosi. Num contagiosus morbus semper malignus?"

malignum minus inepte haberi vult morbum periculosum gravemque, comitate vero simulata periculum grave minax celante. „Illi enim, ait, homines, qui aliis damnum inferre intendunt, id vero occultant et vultu verbisque, ac aliis actionibus contrarium ostendunt: paucis, qui periculosi sunt, non vero videntur, maligni dicuntur: Idem in morbis deprehenditur. Simplicius, sed non ineptius aliis hoc mihi videtur iudicium."

„Ill. Lieutaud in obrutis naturae viribus ponit, hoc axiomate 1): „Quid sibi velint auctores per febrem malignam, vix ex fusioribus scriptis patet: nec dilucidior praxi incumbentium mens, quum pro rictu et arbitrio varias febres conditae indolis, dummodo gravioribus stipantur symptomatibus, hoc nomine insigniant. Absit, ut imperitorum more horum characterem impertiamus cuivis obvio morbo mali moris, adinsuetis et gravioribus symptomatibus stipato. Iuxta tamen antiquorum mentem has duntaxat febres sic vocitare licet, in quibus naturae vires obruuntur, adeo, ut nec pulsus velocitas, nec symptomatum vehementia morbi perniciei consonent."

Celeb. Tralles 2), Silesiacae patriae medicinae eximium decus, odiosam eam significationem abolitam mavult.

Contra Eller in contagiosa ac epidemica prava natura condit malignitatem.

1) Synops. univ. prax. T. 1. p. 20.
2) Exam. rigoros. etc. p. 377.

Ill. de Haen 1) (ex benigni adverso) eum vocat morbum malignum, „qui gravioribus de causis natus, sociatus symptomatibus cum vi numeroque, tum inverso ordine deterioribus, vel ab ipso principio vel serius vires vehementer proiectas habeat, nec solitae methodo auscultet, sinistreque tractatus et maioris discriminis sit et frequentioris interitus.“ Quam definitionem, accidentalibus utplurimum conditam, vix strictam esse, quem fugit? Neque firmiorem ei praebet notam aliis locis, ubi eam modo arguit ex pertinacia ad artis etiam generosiora praesidia, ut quibus suppurationi, scirrho, gangraenae e. s. p. non praecaveatur, modo refellit fictitiam 2) exanthematicorum morborum malignitatem, praeposteram potius imprudentium medicorum accusans curationem, castigans inprimis, (idque ex medicinae plurium heroum quasi animo depromens) alexipharmacorum taliumque noxium usum inopportunum: unde ipse denique ex incomparabilis Sydenhami damnatione abstractam malignitatis ideam, artis nostrae pestem dicit, quod ad eandem mente conceptam vulgus medicorum protinus ad eliciendos sudores, sudoribus papulas maculasve generandas e. q. s. rel., animum adpellet.

Cel. Tissotio 3) malignitas (etsi levitate sym-

---

1) l. c.

2) Heilungsmethode, aus dem Lat. übers. Leipz. 1779. Bd. 1. p. 226. cf. p. 264. u. Bd. 2. p. 4.

3) de morb. ex masturb. p. 201. cf. Anleitung u. s. w. Kap. 17., et Aepli. l. c. p. 16.

ptomatum ludente) nil est nisi defectus prorsus vis vitalis, deficientibus praesertim aut alteratis spiritibus animalibus.

Clariss. van den Bosch sequentia habet 1): Magnum pathologiae adfertur detrimentum ex nonnullorum medicorum Cacoëthe, qua, audito uno alterove cardinali, ut ita dicam, symptomate, statim et praemature nimis, nomina morbis imponant totamque nomini superstruant indicationem.

Egregius Gaub 2), quanquam haud raro ignorantiae asylum errorumque operculum agnoverit malignitatem, eam tamen reapse dari censet omninoque esse attendendam. Notari autem hac voce vult morbum, qui insidiose mitis sub phaenomenis haud ominosis aggressus, ex improviso gravissimis symptomatibus naturae vires opprimit, alias et eum, qui praeter morem inusitata symptomata turbasque vehementiores, quam quae naturae eius convenire videantur, excitat: denique referri huc solere tradit refractarios morbos, qui expertorum remediorum vires eludunt ac curatione vel magis exacerbantur; quam feritatem etsi in acutos morbos potissimum cadentem, ad chronicos tamen quoque pertinere ortumque debere potentiis virulentis, miasmatis, contagiis, noxis epidemiis, vitio humorum multiplici, plurium morborum confluxioni, pravo aegrorum regimini aut perversae curationi. — Monitu autem vix eget, salva magni pathologiae fundatoris

1) Hist. constitut. epidem. vermin. p. 7.
2) l. c.

auctoritate, vix ac ne vix quidem sui iuris vindicatam esse hisce aphorismis malignitatem, sed modo accidentalem, ab his illisve rebus externis internisve pendentem, quarum respectu neglecto accusatur quidem malignitatis culpa, nusquam tamen irrita redditur.

Schröder 1) malignos appellat morbos, qu gravius de experientia afferunt vitae discrimen, quam cognitis de causis minari videtur. De ipsa autem hac voce titubante, qua citra desiderium potius queat indigeri, sententiam huius celebrati suo aevo praeceptoris affert cel. Marcard 2): „Cum ne ii quidem scriptores, qui tam sollicite ceterum Hippocratis vestigia presserunt, accuratam istius κακοηθειας notionem et usum retinuerint, pluresque illorum dolendo abusu, difficultate divinam artem implicuerint, cumque praeterea adeo vagus omni aevo recentiori reperiatur huius voculae usus, ut nulla exsistat paullo gravior febris, cui non secundum unius aut alterius scriptoris definitionem malignitas competat: nunquam sperandum esse omnium, quoad huius vocis usum, consensum, nisi forte illa in significatione, quam sermo communis postulat, auctores iterum convenerint: alias vero melius ab eadem plane abstineri, cum ne minimam quidem iacturam ab huius termini exstirpatione accuratior doctrina medica patiatur. Si autem quaestio moveretur, num etiam sperare liceat quoad hanc sententiam auctores consensuros? utique respondissem: invalescentem ho-

1) Aepli l. c.

2) Exam. rigoros. malignitatis. D. Gotting. 1770. sub calcem

die magis magisque rationalem, febres a causis proximis dividendi methodum, quacum maxime absurda in benignas ac malignas a plurimis optimorum artis principum terribilibus coloribus depicta, et ita etiam ut merito quemvis eiusdem puderet, contemtui exposita, nullo modo conciliari possit, vix dubitationi locum relinquere, quin vaga haec tot aegris perniciosa artique salutari ignominiae cedens ac dedecori; partitio suos fautores penitus olim amissura sit."

Cel. Baldinger, cuius Brendelium secuti mentio iam supra (p. 12.) iniecta est, eorum sententias 1) abrogat, qui malignitatem sive rem eandem ac putridam indolem, sive vocem inanem absque rei momento ducunt, ipse iam partim sibi uti Brendelio malignae febris instar phrenitidem et paraphrenitidem veterum Graecorum arridere profitens, quarum accidentia terrentia (τα φοβερα) sufficientem exhibeant singularitatem, qua proprius febrium ordo condatur, partim humorum tenacitatem quandam nimiam (neque spreta fermentationis hypothesi) ream habens in neurilemate potissimum aut in musculis residentem a principio, vel collocatam ibi per metastasin, quae crisios hisce morbis nullatenus vel rarissime tantum ac imperfecte contingentis locum habeat, tum in nervis utplurimum tum in glandulis articulisque. Deinde vero hic scriptor nimiam sui aevi in putredinis vocem indulgentiam castigando, qua exoptatum ignorantiae asylum, ut olim malignitatis abusu, praebeatur, huic ipsi vero

---

1) l. c.

propriam ac singularem vindicando dignitatem, e Scylla vitanda in Charybdin incidisse mihi videtur. Ipsam causam proximam malignitatis formalem ponit in laesa vi vitali sive exhausta sive supra modum nimis intensa (forsan Scoti astheniam utramque iam suspiciens), „i. e. irritabilitate et sensibilitate." Ceterum hydrophobiae spontaneae accidenti pessimam tribuit notam malignitatis. Haec sunt, quae cel. Baldinger in programmate supra citato affert, alio autem loco 1) haud sine ira ac studio malignitatis in Haenium clarissimum invectus est, at, ni vehementer fallor, nimio abreptus ardore, quo huius non modo, sed illorum etiam vanam ac insulsam dicit sententiam, qui esse, necsi luculenter ita apparuerint, morbos malignos, contendant: insidiosae fraudis clandestinae crimen, quo hi accusentur, nil esse dicens, nisi inanem verborum velitationem: numerosa esse apertaque malignitatis signa prudenti medico satis notabilia, eique ergo nusquam accidere, ut inopinato, aeque vix ac Hippocrati, aeger moriatur. Quis vero est, qui hunc illumve rictum pro vero putet arbitrio? Num tales morbi, quorum natura et exitus lethalis in aperto propatulo iacent, maligni quid adhuc habent? Nonne tunc potius mali tantum forent nuncupandi? Num quis apertum hostem insidiarum fraudis accusaverit? Sed verborum aucupium rixamque nostrum haud est inire, taedetque denuo repetere aliorum suffragia medicorum illustrium, quorum publicus

---

1) Neues Magazin für Aerzte Bd. 1. p. 175.

est consensus de malignitatis voce tanquam peste quadam tam medicae artis quam humani generis: Id modo libere est fatendum, neque aequum neque prudentem fuisse arbitrum, qui frustraneam ac sterilem inscripserit litem de essentiali aut accidentali nota malignitatis, quid quod, qui infallabilia esse apertaque eius signa edixerit, ex quibus fieri non posse, ut quis aegrotorum nisi imprudenti ac ignoranti medico moriatur inopinato. Provocat quidem ipse Baldinger in divum Hippocratem: nonne autem is idem locum praebet celeberrimum huncce? „pulsus bonus, urina bona, omnia bona et tamen" — — (nempe absque aperto indice) „aeger moritur." Neque pluribus, quos afferam, eiusdem opus est, aphorismis, quibus divinus morborum vates horum prognosin praesertim acutorum, utut dubiam impeditamque semper remanere ipse candide fatetur. Vix enim forent etsi eiusdem ac meae iuvenilis aetatis, quibus nondum acciderit, ut aegros mane viderent inopinata morte exstinctos, quos a prudentissimis medicis curatos proxima vespera superiore in satis hilari adhuc vitae conditione ac bene sibi conscios reliquissent. De quo casu, certe non raro, doctiss. Borkheim 1) bene meminit immortalis Morgagnii. Ac revera manet ars nostra, ut Celsi verbis utar, coniecturalis. —

Huxham, Pringle, Siegwart, 2) huiusque discipulus Götz 3) ac ei aetate proximus Seyler 4)

1) l. c. p. 330.
2) Aepli. l. c. p. 16.
3) D. de febr. malign. pathol. Tubing 1768.
4) D. de praecip. malignit. signis. Hal. 1765.

(uterque sat rudi experimento alkalinam putridi sui miasmatis naturam exhiberi ratus), cum pluribus aliis et superiorum condunt malignitatem in putredinis fundamento. Ex his candidissimus Pringle malignitatis vocem sequius revocat 1): haud bene ista voce se usum confessus, qua non citra damnum saepius fiat abusus nec unquam perspicua notio intelligatur.

Lexicographus Blanchard 2) omnium condus promus, nullius censor, morbum exhibet malignum, qui symptomatibus suis saevit vehementius aut perseverat diutius, quam indoles eius prae se ferre prima fronte videtur, quive facilius per contagium propagatur, in quo subito animadvertitur plenaria virium prostratio, et qui medicinae non auscultans mortem saepe inducit.

Doctissimus capitis de nostra voce auctor in onomatologia 3) Norimbergensi, cum de malignitate, tum de febre maligna (ni fallor, unus idemque), allato satis frequente scriptorum 4) coetu propriam tandem eo adducit sententiam, ut pro accidentali potius, quam essentiali malignitatis nota, eaque (id quod toties iam

1) Pringle über die Krankh. der Armee, übers. v. Brande. Altenb. 1772. 8. p. 379.

2) l. c.

3) Onomatologia medico-practica v. einer Gesellschaft von Aerzten, Nürnberg 2r. Bd. 1784. 3r. Bd. 1785.

4) Quos ipse adire irritus (frustrata omni quantacunque opera) desideraveram, quare iam hoc titulo L. B. indulgentia mihi est petenda, neque minus recentiorum scriptorum plurium, inprimis cel. Paradys laudatae diss. (de propria malignitatis notione etc. Leid. 1807.) lectionem mihi non contigisse valde doleo.

enucleatum) satis vaga plane abstineri satius habeat, nisi ad summum metaphoricus 1) ea fiat usus. Refutat enim Homii aliorumque opinionem: refractaria morborum indole exhiberi malignitatem, vel accidentium frequentia, varietate, anomalia vel nimia causarum vehementia vel exanthematica eruptione. Ipse ponit malignitatis characterem in singulari vis vitalis deiectione, in maiore quam videatur periculo absque rapido 2) impetu, immediata nervorum afflictione, inde diagnosi difficillima, prognosi fallacissima, crisium imperfectissima ratione vel plenaria plerumque absentia. Sed has quoque rationes firmo rectoque talo vix ac ne vix quidem stare, cuivis patet: obnoxiae enim potius sunt centenis extus intusve accidentibus, quibus quomodocunque quis velit aliter eas potest interpretari. Quae summa illis continetur, eam ad statum nervosum nostrum redigi licet, in quo multis cum aliis scriptoribus hic convenit, luculentius iam ipsa putrida febre nervosam esse saepius positam, concedens.

---

1) Marcard l. c. §. 1. „Neque improbari potest metaphoricus iste usus a rebus moralibus ad physicas et medicas translatitius, cum revera analogi quid observetur in morbis et in quibusdam hominibus nocendi cupiditatem in sinu foventibus, nihil minantibus, canum instar mordentium, non latrantium, quorum quidem morborum externa facies minus terret primo intuitu, quae tamen rerum perito et quidem solummodo secundum experientiam, de periculo occulto metum excitare valent.“

2) v. Swieten comment. T. II. ad §. 736. quae latenter et absque rapido impetu turbarent omnia.

Egregius Stoll 1) malignitatem collocat in debilitate vitali sub principio, sponte orta (ingenti mox in principio vitalium prostratione 2), eamque non bene quaesitam monens in syndrome magnorum symptomatum numerosorum, insolitorum, nec in abnormi decursu morbi ad exquisita remedia pervicacis, eiusve magno discrimine. Discernit vero (in debilitate enim positam) inter veram, primariam, spontaneam et secundariam, factitiam malignitatem, quarum haec vi potentiarum nocentium nata, accessoria nostros fines non tangit: illius vero genuinae, ut ita dicam malignitatis causam proximam (essentiam q. v.) ipse sibi ignotam ('ανωνυμον) esse fatetur, quae solo effectu enervante, mortificante se manifestans, cordis et arteriarum irritabilitatem atque adeo vitam ipsam directe aggrediatur. Idem deinde verbo quidem indulgens, sed rei prudentissimus censor, alio 3) loco, ubi malignitatis notam ad pleuritidis biliosae in malignam applicat transitum, hanc sibi audire refert aegri conditionem, qua vis vitae admodum deiecta pulsu prodatur debili: ubi neque venaesectione inflammatorium, neque emetico gastricum statum levante, pulsus accesserint celeres, perquam debiles, mens vacillans, vires secretrices languentes, ibi malignitatem adesse sibi visam cum instante lethali partium solidarum et fluidarum dissolutione.

1) Max. Stoll aphorism. de cogn. et cur. febr. Vindobon. 1786. 8. p. 237. ss.

2) ibid. aph. 490. p. 164.

3) Rat. med. P. I vienne. 1777. 8. p. 18.

Ceteroquin talem transitum in perpaucis modo observatum esse addit, qui longae infirmitatis aut haereditarii vitii secum iamdudum gessissent seminia. Nequaquam vero in quavis fortius pertinaci inflammatione suspicandam esse malignitatem, hisce verbis edicit: „Hinc sunt qui cum una alterave praemissa venaesectione morbum increscere vident, malignitatem clamant atque ad antiseptica confugiunt.“ Neque minus expresse tum putredinis aliorum censu haud neglecto, se neutri tali malignitatis notae ultro pepercisse probat isto loco: „Malignitatem pleuritidis haud rite edocti sunt, qui ubi phlebotomo exasperari morbum vident, mox nescio, quam sanguinis putredinem delirantes ad stimulantia antiseptica confugiunt.“ 1)

Neque reapse fieri poterat, ut perspicacissimum huius viri ingenium fluctuans malignitatis notio longe fugeret, de qua re nimis praelara sunt eius verba, quae ipsa afferri non liceat 2): „Nemo non malignam hanc febrem (quam ipse superaverat vir egregius) appellabit, etsi aliis alia sit malignitas eaque de re multum disceptetur. Plures febrium historias collegi, quas qui legerint, unanimo calculo malignas dicent, utut ipsae hae febres adeo inter se differant, ut nulla hucusque stabilita malignitatis definitio eas omnes complectatur. Vidi enim malignas febres, quae pulsibus et urina et

1) l. c. P. II. p. 123.
2) ibid. p. 18.

calore bonis ac naturalibus aegrotanti nihilominus non praevisam perniciem intentarunt: fuere, quibus febris e contrario evidens et magna exarsit, illaque fallax bonitas omnino defuit. Hos aeque ac illos maligna febri detentos fuisse et morbi cursus et finis docuit.“ Apertissime autem sui generis ac iuris malignitatem dari paullo post ipse penitus negat hisce verbis 1): Nulla dari pathognomonica malignitatis signa nullamque eius definitionem condi posse nec ullam exsistere malignam febrem, quae specifica sit et sui generis, collectae febrium malignarum historiae evincunt. Hinc alia habetur in alio homine maligne febricitante malignitatis ratio et notio alia, alius etiam in iis medendi modus: sua cuivis peculiaris malignitas est. —

Ac intelligens rei dubiae arbiter in sequente deinde operis sui praeclari parte, hybrido vocabulo se abstinuisse fere prorsus mihi videtur. Insignis huius viri commentator Eyerel 2) modo eum, modo Brendelium secutus, ponit malignitatem in virium vitae mox a principio debilitate, reiecta aliorum definitione per syndromen symptomatum magnorum numerosorum, et insolitorum, per decursum morbi abnormem. Utrumque enim bene cum Marcardio 3) monet, multis modis variisque de causis a morbo alienis posse contingere, neqne eadem

1) l. c. T. II. p. 22.
2) Comment. in Stollii aphor. T. V. Vindobon. 1792. 8. p. 335.
3) l. c.

semper esse medicorum de magno et parvo in morbis, de regulari aut anomalo decursu iudicia. 1)

Cel. Aepli, malignitati proprii Martis strenuus defensor 2) noxiam quidem multifariam ex vaga eius notione ortam sincera mente confessus 2), petens sibi tamen auctoritatem virorum ad partem iam supra laudatorum: Riverii, Ettmüller, Sennert, Stahlii, 4) Vater, Schulze, Schwarz, Tralles 5), ipse constare vult 6) primariam κακοηθειας essentiam naturalem in genuina communi C. H. subitanea debilitate cum lassitudine insigni absque causa intellectu manifesta (cum insigni coniuncta despicientia ac vultus oculorumque nonnunquam alienatione quadam): cuius vero causae abscondita indole derelictus statim 7) ad hypothesin confugit, sed frustrantem, quae mihi videtur: suspicit enim insitarum virium vitalium excidium, nescit quid (nesciunt quoque alii omnes), unde parum proficit vel nihil, profecisse sibi modo visus ex confugio ad antiquum iam το θειον Hippocratis. Proximam itaque causam desideratam captare studet a nerveo quodam secreto ex centrali huius systematis fabrica prodeunte, in quam ergo absque intermedio prorsus exseri conii-

1) T. V. p. 336.
2) l. c. 1r. Thl. 4r. Abschnitt.
3) ibid. 4r. Abschnitt.
4) D. de malignitatis praecipue febrilis indole. Hal. 1702. 4. p. 11.
5) l. c. p. 388 cf. p. 413.
6) l. c. p. 40.
7) ibid. p. 103.

cit κακοηθειας causae nimirum **occultae** effectum, quem ad exemplum vaporibus referti aëris in electricam materiam opinatur respondere.

Ad egregium iam me verto morborum interpretem **Burserium**, qui 1) de hac notione aliam alii auctoris esse cogitationem ac sententiam monens, et refutans nimis ineptas amplasque ut Scholae Monspessulanae eius commentationes, definitionem quidem plerisque usu receptam eligit, qua (mirum quantum cum Stollii sententia convenerit) typhi nostri (latissimo sensu accepti), si quid recte video, continetur imago. Malignitate vero specificam differentiam non condi, ipse fatetur ac esse quoad febres, nullam 2) propemodum, quae maligna fieri nequeat, idem de putrida referens: neutram confundendam vel conficiendo febrium generi ratus idoneam: neque contagione propagari malignitatem.

Clariss. **Tode** 3) hybridam habet hanc vocem, olim frequentatam, ac citra ullum artis incommodum, ni potius in eius commodum plane mittendam, iure monens: inter febres in specie nullam dari s. d. malignam quae non aptius sibi competente alio titulo possit insigniri.

Cuius ad partes reapse penitus fere cedit ill. S. G. **Vogel**, nostri aevi medicorum venerabilis Nestor, frequentius quidem in palmari suo canone usus ista voce,

1) l. c. p. 103.
2) ib. p. 104. cf. Not. 1. 2.
3) Med-chir. Biblioth. Bd. 9 .p. 457. ff.

eius tamen notione 1) tam prudenter et acute undicunque ad amussin exarata, ut melior vix cui aureae beatorum mediocritatis haud oblito, contigerit explicatio. Quae vero lecturi multifarium in fructum tanta pollet sanae doctrinae atque experientiae acuto iudicio conditae ubertate, ut, quae contracta hic reddatur, improba fere mutilatio foret. Liceat inde modo id unum afferre, quod pensa qualibet singula malignitatis nota apud singulos scriptores, sapienter certe concretum (sit venia verbo) istud malignum, ut quo specifica morbi cuiusvis condatur differentia, malit ablegari: ferenda contra communi malignitatis in morbis voce; monens, bene fieri posse, ut illa cum iu unoquoque morbo tum quovis in homine affecto accidat.

Egregius Selle eam quidem ponit in summo statu nervoso et ataxia sua, quae „sub hybrida malignitatis voce quidem plerumque indicatur: quodsi autem recordemur, quotuplex quantaque sit notio, quam medici huic termino affigunt, facile inde deduci potest, quam varia sit harum febrium idea 2).“

Immortalis Reil ingenii mirum acumen et hac nostra in re probat commentatione haud minus simplici quam elegante: refert enim prorsus malignitatem morbi inter res accidentales, quibus sive externis sive internis ea sit aegri conditio, quae funestam conciliet pro-

---

1) Handb. d. prakt. Arzneiw. Wien. 1796. 1r. Thl. §. 76. ss. cf. ibid. p. 17. p. 52. 3. Thl. §. 11. p. 36. p. 201. p. 273.
2) Rudimenta pyretol. method. Berol. et Hag. 1783. 8. p. 266

gnosin: nam evadere ita malignitatem tanquam ὕστερον πρότερον, expressis verbis dicit: 1) exploratam eam fore ex solo eventu; eius autem reliquas quantaecunque subtilitatis notiones vel falsas vel conspectui nimis abs-conditas vel steriles sibi videri. Nec mirum, consentaneo sibi ratiocinio excellentem virum ipsarum intermittentium obsoletam nondum malignitatem reiecisse, 2) quam quo haereat, logica destinatione nullatenus notat constitutam. Neque hanc pluris aestimasse videtur cel. de Hoven 3) qui solo nomine malignarum s. d. allato, rem prorsus quoad subcontinuas et comitatas praeclari Torti tractat. Ac profecto Reilii improbatio ne cui verborum modo videatur velitatio, vix vereor, quippe quo κακοηθείας epitheto nil certi proficitur. Quod idem valet de inflammatione olim sic nuncupante, sive in gangraenam transitura, sive febri comite maligna: illa enim nota solo ab eventu pendet, haec per se iam saepius hoc in libello est agitata, iamque Reil monet: modo accidentalem notam praeberi eventu, quo, graduve morbi nulla statuatur essentialis differentia 4). Aeque validis argumentis suo loco cum erysipelati 5), tum aliis inflammationis generibus abnegat male affricatam malignae speciem. Nonne idem fere valet de exanthematibus? Quorum naturam a febri comite potissmum pendere monet expresse ill. Vogel 6).

Praestantissimus I. P. Frank quoad nervei systematis afflictionem tenet a „subtiliori quodam principio" malignitatis notam in genere, salva tamen exceptione, qua bene eam restringit, „dummodo ex hac ipsa methodum omni malignitati, quae una non est, accomodandam eruere non contendamus, 7)" essentialem igitur dignitatem neutiquam ei tribuens.

Expertissimus A. G. Richter 8) critica variarum

---

1) üb. d. Erkenntniss u. Kur der Fieber T. I. p. 263. §. 143.
2) ibid. T. II. p. 146. §. 40; F. W. von Hoven Versuch über d. Wechselfieber 1r. Theil 1789. 8. §. 9. p. 18.
3) l. c. p. 261. Not. 1.
4) l. c. 3. Thl. p. 36. 201. 237 p.
5) de cur. hom. morb. epit. Mannh. 1792. T. 1. Lib. I. p. 19
6) l. c. p. 382.
7) l. c. p. 42 ss.

de malignitate sententiarum adumbratione mancam gravibus argumentis demonstrat eius tum e putredine, tum e contagione, tum qua sui generis acceptam notionem; vocem modo, cui si quis ultro indulserit, eo tenendam esse ratus, ut virium inde deiectio pronuntietur.

Ill. Harless 1) malignitatis notiones, quibus tum veteres, tum recentiorum quidam medici utuntur, saepius fluctuantes, incertas, perdiversas nec raro invicem contrarias ad duo schemata principalia redigit:

1) Alterum mere empirico-symptomaticum, ex quo consistit illa, sive in morborum externa facie benignam lenitatem ludente nec periculum indicante, sive in absentia sub initio quidem graviorum symptomatum periclitantium, quae brevi tamen ab aliis facile lethiferis excipiuntur, sive in virium deiectione insigni insueta, una cum prima morbi invasione statim irruente, cui reliqua symptomatum leviorum vel benignam speciem simulantium parum respondet syndrome:

2) Alterum, in opinata illius essentiali natura, et specifica ergo differentia inter statum malignum et febres malignas, aliumque statum morbosque. Quod commentum, unde multifaria confusio, damnique plus quam commodi arti redundavit, duplicem iterum in semitam se divertit:

a., acceptam in hypothesin de fomite morbifico quodam peculiari putredinoso, properae humorum vel ipsius nerveae materiae dissolutionis auctore: qua de causa medici huic parti addicti febres s. d. putridas praeprimis habebant malignas;

b., aliamve in hypothesin de peculiari quadam, per celerem et extremam debilitationem nervorum originum et inde sensorii communis affectione, suspicata nimirum quae hanc producat materia morbifica. Neque raro tum prioris tum nostri aevi medici hunc statum malignum unum eundemque accipiunt ac nervosum vel typhoden 2), affricata malignitatis ϰ. ε. notione febri

---

1) Handb. d. ärztl. Klinik, 1r. Bd. Leipz. 1817. 8. 3. Abschn. cf. Salzb. med-chir. Zeit. 1817. 4. Bd. No. 98. p. 296. ss.
2) Cuius exemplum iam invenitur ibid. No. 80. p. 31. 32.

nervosae typhoque. Sed neque synocho, pergit ill. Harless, neque typho, neque ulli alio morbo, quamquam gravissimo vel periculosissimo specifica ulla vel modo symptomatica constans differentia ex malignitatis opinione redundare potest, quae, hanc ob causam constituendae specificae sive genericae differentiae impar, significationis modo praebet momentum quoad singuli morbi periculum vehementiamve.

Cel. Mérat 1) comparatis vagae voci subiectis notionibns eo tandem redit, ut ridiculas tanquam nugas exhibeat somniatas ibi causas proximas, uti singularem dyscrasiam 1), intemperiem sanguinis humornmque salino-sulphuricam, vim potentiae virulentae, acrimoniam fluidonerveo irruentem e. q. s. rel.: obsoletam inde declaret abiiciendamque ipsam vocem, retinenda modo ipsa re sana, si quidem, subtracta. Inprimis cum multis aliis laudatis, nec non suae gentis viris operculum hoc medicae calamitatis et ignorantiae, cui quod mortem attulit, id malignum est 2), noxiamque castigat multifariam inde exortam, monente quoque praeclaro Pinel, illius gentis pathologorum facile principe: C'est une heureuse ressource pour un esprit peu exact et peu propre à mettre de la iustesse dans ses expressions, que l'usage de certaines termes d'une signification indeterminée et qu'on peut employer à tout propos sans crainte, d'être trouvé en défaut: telle est la dénomination de fièvre

---

1) Diction. des scienc. médic. T. XXX. Paris 1818. article malignité.

2) Quo memini praeclari Zimmermann acerbos sales: Unwidersprechlich muss jede Krankheit bösartig gewesen sein, an welcher der Kranke gestorben ist. Quanti de reliquo idem hanc notionem habuerit, ex isto loco patet: Hin und wieder bei neuern Schriftstellern scheint mir oft der Begriff der Bösartigkeit so schwankend, so unbestimmt, und so sehr nach Belieben angegeben, dass ich über den Mangel der philosophischen Fassung der Gedanken in unserm vorzüglich philosophischen Zeitalter erstaunen würde, wenn ich nicht mit Augen sähe, wie mancher hochberühmte Arzt von dem Lichte unsrer Tage noch keine Nachricht hat.

maligne 1). Addit Mérat sub calcem ex cel. Corvisart ore facetias, quibus hic verborum lepore tum scriptorum, tum praxi incumbentium medicorum istum abusum ludere solebat: ceux, qui voient tant de malignité, ne sont pas bien malins. Idem tamen prae lusu seriam quoque veritatis intermediae notitiam videtur neutiquam neglexisse, quum professus ibidem feratur: il y a des maladies, qui ont plus de malignité, que leur médecin.

Cel. Chambert 2) expresse accidentalem modo notat malignitatem: insidiosam indolem pernicioso vocando morbo vindicans: eam pendere de singuli morbi natura, de causis, de natura telae organique afflicti, de praedispositione in dividuali, tum somatica, tum psychica, de curatione e. s. p. Sequius vero 3) idem scriptor in recoctam toties cramben incidit de singularibus specificae malignitatis insidiis structis ex morbifica emanatione miasmatica et contagiosa quae, per pulmonem cutaneamve absorptionem aggressa C. H., vim deleteriam in systema nervosum exserat; et alem dicit esse malignitatis ortum quarundam febrium intermittentium, quae alias comitatae audiunt, tum pestis febrisque flavae Americanorum, tum nostri typhi. De falso ista olim accusata malignitatis contagiosa indole pluries iam refutata, superfluum erit repetere altercationem.

Ill. Conradi 4) prae nimia indulgentia in omnes qualescunque longe diversas malignitatis notas habita, nullius fere iuris quoad certo definitum eius terminum esse mihi videtur. Quid enim talem nacturo convenit subtilis morbi materia? quid permixtae istae totum coelum inter se differentes notae? quae singulae satius profecto aliis potioribus et firmiter iam acceptis morbi notionibus competunt, uti morbo complicato, contagioso e. s. p.? Ipsa venena utique benignum vix effectum exserunt, sed quem in finem malignitatis nota iis destinanda repetitur? Ad summum lentae per refractas diutiusque perhibitas doses ex plumbo et arse-

1) Nosograph. philosoph. T. 1.
2) Dict. des sc. méd. T XXX. p. 188. (article maladie)
3) ibid. p. 184.
4) l. supr. cit. §. 82.

nico e. g. intoxicationes cui nuncupentur malignae, at equidem neologiae neque par auctor neque aemulus, vix inde quid veri commodi rei controversiis nondum eliminatae paraverim. Ab altera tamen parte celeberrimus scriptor laxiorem verbi ambitum ipse bene vituperat.

Ill. Schmalz 1) sub typho paralytico malignitatem condit: quo iure, non requiro, quippe quod iam saepius hoc in libello etsi alio de nomine agitatum.

Beatus Berends, disciplinae nostrae hac in academia olim eximium decus, malignum 2) habet morbum, cuius phaenomena decursusve anomali quid habent, ita ut symptomata neque inter se neque tempori, quo prodierint, satis repondeant. Mittendum non est, quod monet, diversimode rem sese ex ipsorum aegrorum non solum quoad corpus sed etiam quoad animum diversa natura habere. Assentitur 3) ceterum Sydenhamo: malignitatem, omnis certi criterii expertem, febrium divisionis normae plane imparem esse: Singulas quas scriptores ediderunt notiones ibi percenset, veritatis speciem nulli porsus, suppetere tamen collectae inde specificae generis differentiae, denegat: principalem ipse exhibet ex anomalo decursu (Sellii ataxia). qui quo gravius viribus deiectis, eo potius, laeso exinde nerveo syntagmate, C. H. nimirum supremo moderatore, facillime eveniat; quin tamen ipse eandem haberi velit malignam ac nervosam in genere febrem, sed utplurimum modo eius speciem haud raro epidemicam, faciliorem inde (alias difficilem,) diiudicatu.

Dignissimus tali magistro, clariss. Sundelin quid habeat de malignitate quoad afflictum C. H. systema, supra iam est allatum: quum vero nerveum est summum; quo, vis vitalis tanquam arbitro, aequo tantum, regularis quum contingat morbi decursus, in unum ergo convenire colligit indolem nervosam et malignitatem, 4) quam vero ipsam imparem febrium habet dispositioni. 5)

---

1) Diagnostik in Tabellen. Dresd. u- Leipg. 1825. fol. p. 6. No. 33.
2) l. supr. cit. 3) l. c. Bd. 2. p. 76.
4) l. supr. cit Bd. 2. p. 80. 5) ibid. p. 77.

Ill. Raymann 1) repetit illam malignitatis notam, ex qua simulatae levitatis specie ludens grave periculum tam subito quam inopinato aegrum invadit.

Ill. Friedlaender, Halensis, 2) ad Galeni definitionem (supra allatam) morbi maligni eam tenet notionem, qua principio lenis, deinde vero subito exasperatus aegrotum in summum vitae discrimen adducit itemque illum referens accusari malignitatis, qui principio statim magnam virium prostrationem efficit, parum congruam reliquis morbi signis placidam naturam simulantis. Meritae autem vituperationi habet malignitatis materiam peculiarem morbificam e putrido fomite vel alia nervos imprimis aggressa potentia, refractarium ad morbum vel ad eum omnino excogitatam, cuius funestus medicum fefellit eventus.

Doctiss. Borkheim, vir cum insigni excellens doctrina tum experientia, in commentatione de febrium malignarum rite accipienda notione publici iuris nuper facta 3), aeque bene comparatis ac ingeniose diiudicatis diversis circa illam sententiis principalibus propriam suam hanc fert: malignitate neque morbum constitui sui generis neque differentiam specificam, sed dari eam solummodo „actu talem", qualis sub extrema status nervosi 'ακμη accidat, ubi 5) cum summa functionum anomalia (per funditus eversam synergiam vitalem — Stahlii αυ'τοκρατειαν — nervei supremi moderatoris), tum singularis adsit in dissolutionem propensio ipsius materialis organisationis (sit venia barbaris verbis), haec secundaria, illa primaria ataxia hominis interioris (Sydenhami): ex utraque prodire tunc catervam symptomatum terrentium (των φοβερων), inter quae haud ultimum locum nacturam gangraenam spontaneam (ex 6) disturbata communi C. H. compage virili ac materiali) bene ac solus fere inter omnes quos legi scriptores, tam expresse proponit, quam ingeniose ducit a nativa. — Sed hactenus de aliorum circa nostram materiam in genere sententiis. —

II.

Altera nunc huius libelli pars est petenda, qua

---

1) Handb. d. spec. Pathol. u. Therapie. 1. Bd. Wien 1823. 8. p. 39. 2) l. supr. cit. 3) l. supr. cit. 4) l. c. p. 431. 5) ibi p. 339. 6) ibid. p. 340.

brevissimis singulas morborum species ad malignitatem istam denotatas tanquam uno brevi ordinum conspectu perlustrabor, inde quod proposito nostro competens invenerim, accepturus.

Febris vero s. d. malignae, ut quae potissimum malignitatis vociferationi ansam et controversiis forum praebuerit, frequentior iam est mentio iniecta, qua denuo hic repetenda supersedeo: id modo persuasum mihi fatens cum plerisque artis nostrae principibus, febrium genus specificum haud dari per se malignarum.

Inflammationis malignitas, quae in scriptis occurrit, ternam sequi mihi videtur normam: sive acceptam ex comite febri maligna, sive (putridae malignitatis sectatoribus) putrida, hac vel eadem habita, vel per se specifica (necdum, qua talis, sat aptas circa eius exsistentiam controversias evecta: P. Frankii enim modo memini, vivae isti putredini 1) sat gravis adversarii), sive ab eventu in gangraenem. Utraque prior malignitatis ratio inflammatoriae, ut ita dicam, superioribus passim iam est notata, aeque ac tertia refutata eo loco ubi Reilii sententiae memini, qui tanquam ὕστερον πρότερον eam reprehenderat.

Idem fere competierit occultae 2) s. d. inflammationi, cuius in gravius sequiore tempore apertum malum exarsurae, si quis deprehendere velit malignitatem. Qui oriri hac via putaverint istas plerumque exitiales pseudomorphoses (pseudoplasmata, organisationes spurias s. d.), ii contrariam suae habent eorum sententiam, qui satis obscuram adhuc illarum originem tanquam plantae parasiticae luxuriantis more duci malunt, hinc secundariam hanc inflammationem, qua invalescant illae modo in maturandum miseri interitum. Verumenimvero quantacunque nostro aevo absconditae huic rei contigit industria, tantis nihilosecus hodiedum ea difficultatibus impeditur, quo minus tironem deceat rem decernere potioribus arbitris satis ambiguam. Id unum constat, neque hic, quod flocci pendeatur, malignitatis denominatione profici.

De alia quam cui forsan addere placet malignitatis

1) cf. ib. 330.

2) Joh. Wendt Programm: die alte Lehre von den verborgenen Entzündungen Breslau. 1824. 8.

s. d. huiusmodi ratione, nempe asthenica 1) inflammatione bene taceo, quae enim utrum exsistat revera, necne, huius loci non est disquirere. Ac locum si quidem haberet, malignitatis epitheto satius eam esse denotandam, vix erit, qui putet.

Una tamen praeprimis hic, tum malignae cognomine servato nec hodiedum abrogato, tum priore iam ac nuper denuo resuscitata varia disputatione, nimis praecellit, quae omittatur, inflammatio: anginam dico. Cuius sat notabilis morbi (quem Bretonneau 2) diphthérite dicit) historiam nunc post Ozanam habemus doctissimi Fuchs 3) egregia sedulitate, sollertissimam descriptionem ab ill. Sachse, 4) ipsam vero naturam nondum ab omni parte perspectam atque indubiam. Scriptorum enim alii sui iuris esse morbum malunt, alii contra: qui sive scarlatinae cum addictum habent (adversante tam Sachse quam Fuchs), sive febri s. d. malignae, sive putridae, sive typho recentiorum, sive eventui gangraenae, hac autem habita vel mera humida q. v. cum putrida dissolutione (utraque iunctim ad Borkheimii 5) exemplum nativo tramite deducenda), vel ea specifica fere nosocomialem illam pulposam redolente cum typhode diathesi (Fuchs.)

De qua autem re novis disputationibus obruta mihique ne visa quidem, certam expromere sententiam, temere non ausim: at mihi quidem, si quid ex perlectis rite intellexi, pulposa haec (Delpechii) species gangraenae nosocomialis (cui hac in angina similem corruptelam deprehendit Fuchs) altior modo sphacelismi gradus, ipsa nocosomialis ut aliae gangraenae species generatim varietates tantummodo esse verisimillime videntur, quas ad partis, organi. telae c. s. p. afflictae variam naturam subit una eademque revera

---

1) ibid. p. 8.
2) Bretonneau traité de la diphthérite etc. Paris 1826. 8. cf. Fuchs. (in libr. seq) p. 136- 191. 155.
3) Conrad Heinr. Fuchs historische Untersuchungen über Angina maligna etc. Würzb. 1828. 8.
4) in: Encycl. Wörterb. d. med. Wiss. v. den Prof. d. med. Fakultät zu Berlin. 2. Bd. Berlin 1828 p. 545. ss. cf. S. G. Vogel. l. c. 4. Bd. §. 51. 5) v. supr. p. 38.

gangraena. Qua opinione, supraquo laudato ratiocinio de gangraenae spontaneae genesi (quod nempe ad Fuchsii diathesin typhoden attinet) conciliatis invicem, expediri mihi videtur, quantum fieri potest, ardua controversiarum compositio. Priores enim anginae malignae notae recensitis iam opinionibus competunt. Ceterum potiori equidem iuvenis lubenter cedo, de re tamen satis abscondita putavi mihi licere eum percipere intellectum, qui meo saltem expeditum se praebuit ingenio quantulocunque.

Ad exanthemata bene applicanda sunt, quae modo vel supra memorata sunt, inprimis ubi Reilii mentionem feci.

In chronicis morbis haud deesset multifaria ratio, qua quis in accusandae malignitatis discrimen adduceretur, sed quo iure spontaneo, quemve in usum vix comprhensibilem, passim iam ultra repetitionis necessitatem in medium protuli. Nec est, quod — infra lubenter fatendum — malignitas hisce quoque ut recensitis iam in morbis non agnoscatur (nonne prorsus in syphiliticis lento sed certo dente rodentibus?); sed pro specifica differentia ex hoc epitheto genuinam morbi speciem condere, nusquam mihi locus causave videtur. Unam modo liceat prae ceteris eligi leucorrhoeam, quae ubi simplici catarrhali gravior, ibi olim nec nostro aevo nunquam maligna (s. virulenta) nuncupatur, commentatorem nacta praestantissimum ill. Carus hisce verbis 1): Quod quidem ad huius morbi attinet benignitatem vel malignitatem, haec differentia neutiquam essentiali nititur fundamento, sed potius in aegrotantis constitutione reliquisque externis est quaerenda: minime vero acceptum habeas infectione ortum fluorem solummodo malignum, contra spontaneum esse benignum: plane enim ad contrariam fere partem res sese habet.

Liceat nunc transire ad eam morborum latam provinciam, quae chirurgicae praxi s. d. olim erat sortita: Quodsi morbos s. d. externos s. chirurgicos eosque oculorum, quantum fieri potest, uno prospectu colligimus, malignitatis voci in hacce provincia non tantas fuisse quantas in altera nosologiae parte, latere haud potest. Neque videlicet in hisce morbis, qui ad maximam

1) Gynäkologie. 1. Thl. Leipz. 1820. p. 295

partem ipsius nostri oculi solido patent adspectui, fieri bene potuit, ut spectatores ab isto „simiola" q. v. Baglivi, tot commentorum ludibriis luderentur, quibus nimirum spatium esse nequit, qua oculi visus haud velatus apertum fere campum perlustrat. Qua re factum est, ut, quo chirurgico hoc in foro recepta sit malignitatis vox, ternum modo nec ita insulsum vel deleterium, uti in aliis istis morbis, locum obtineret: primum enim translatitium ex medicorum commentata febrili aut inflammatoria s. d. malignitate (v. supr.) si qua accidisse hisce videbatur: alterum, priori haud plane alienum existimatum, gangraenae spontaneae morbi cursum emensurae supra iam commemoratae: tertium denique improprium, ut ita dicam, excepturae morbi stadium variae pseudomorphosios, praesertim cachexiae habitum prae se gerentis.

De primo isto malignitatis genere vix est, quod pluribus sit afferendum: dummodo eius cardinalis, ut ita loquar, res ad febrem illam malignam saepius iam notatam vel ad phlogosin bene sit redigenda. Neque praeterea hac in malignitate exiguum locum tenet vel ipse sphacelus 1), cuius ortum naturali ratiocinio ductum supra exhibui.

Secundum huius malignitatis genus est, in cuius ipsa stata natura gangraenae eventus positus est, et adeo essentialis quidem dignitatis, ut absque ea ipse morbus malignus q. v. caderet. Huc pertinent nec absque contagio imperante praeprimis 2) carbunculus malignus, pustula maligna e. q. s. rel. Quibus supponit praecl. Boyer inflammationem q. v. malignam, ortam semper ex 3) principio per organismum animalem disseminato heterogeneo, inimico, deleterio quodam, quo nescio. Cuius coniecta hypothesi τυ θειον aliudque tale ab istis, quorum iam commenta retuli, accusatum redolente, nil profecto in genuina rei cognitione profici, nemo erit, qui dubitet. Forsan cum aliis scriptoribus inflammatio haec verso ordine secundaria modo habenda est conaminis adinstar reagente organismo orti: gan-

1) cf. Boyer chirurg. Krankh. übers. v. Textor, Band 1. Würzb. 1818 p. 124.

2) cf. Boyer l. c. 2. Bd. p, 47 ss. Chelius Chirurgie Bd. 1. p. 120. 121. 3) Boyer 1. c. Bd. 1. p. 120. 121.

graena vero ipsa primaria vel metastatica (?), ut alii malunt. Sed revera huius ipsius ac contagii non ubique negandi originem ad nativam demonstrandam arduis angustisque iacere, libere fatendum iudico tironi. Neque ibi ullam genuinae malignitatis notionem deprehendere mihi videor.

Ad tertium denique genus referenda habetur papula maligna s. rebellis 1) ab aliis opthalmopathologis nacta cognomen. Quae mensturali plerumque vitio oriunda deleteriam olim indolem satis apertam prae se fert, qua insonti e contrario mala s. perniciosa ad summum, at maligna nusquam est vere nuncupanda. Sed termino hoc satis stricte definito, arti vix inde quid damni est verendum.

Recensendus hic quoque foret scirrhus forsan, cuius notione latiore olim quam nunc habita, de benigna huius specie sermo erat et contra maligna, carcinomatis indolem semper nactura, benigna vero insontis indurationis adinstar censenda. Scirrhi vera notione hodie melius ad specificam labem restricta nonnisi dyscrasico solo natam, sponte iam cadit istud malignitatis, utut pessimae nimirum, ἐπιθετον.

Idem fere valet de ulceribus, generatim olim in benigna et maligna (κακοηθη ἑλκη 2) dispositis 3), quae autem ex discliplinae nostrae hac parte altiorem in locum clarioremque provecta, adhucdum vix quadantenus sub tali habenda sunt respectu.

III.

Collocatis nunc denique variis malignitatis rationibus, hic locus erit quo eas in contracta adumbratione, uno quasi prospectu deinceps recenseam: systematicae, ut ita dicam, lustratonis earum indicium iamiam laudatum habens ab ill. Harless.

Primum abstracta (uti v.) malignitatis vox in genere ut noxiae multifariae fons ac impar differentiae genuinae statuendae, qua morborum genera speciesve condantur, a plurimis iisque summi nominis in arte nostra heroïbus inde ab Sydenhamo ea habetur, quam abiiciendam fere maluerunt: ut a Baglivi, Boerhave, Morgagni, van den Bosch, Lieutaud,

1) Weller die Krankheiten des menschl. Anges. Berlin 1826. 8. p. 75. cf. Jos. Beer. Lehre von den Augenkrankh. 2. Bd. Wien 1817. 8. 2) Cels. de med. lib V, c. 28, 2, 3) Heister Chirurgie. Nürnberg 1763. 4. p. 339. 341.

Schröder, Marcard, Tralles, de Haen: Stoll, Selle, Tode, Burserius, S. G. Vogel, Reil, Harless, Mérat, Richter, Berends, Puchelt, Borkheim, neque temere: quorum enim nec pauci fuere, qui spreto morbo maligno specifico, qua tali, malignitatem solummodo in morbis ut accidentalem varietatem haud raro individualem admitterent iique rectum intermedium naturae tramitem bene tenentes: Boerhave, Stoll, Burserius, S. G. Vogel, Richter, Berends, Borkheim; quo momento potissimum quaesito in insigni nervei systematis profligatione, inde statu nervoso q. v. magis minusve conformato (ut qui cuivis accedere queat morbo): accedentibus Baldinger Brendelium secuto, et onomatologo supra laudato, Stoll, Eyerel, Selle, Vogel, Burserio et cum Berendsio Sundelin et Borkheim; eademque paene re, verbis modo aliis, nempe subitanea virium prostratione singulari absque causa evidente, quae norma nerveum nimirum summum vitae moderamen obrutum refert: Ettmüller, Sennert, Morgagni, Lieutaud, cum insidiosa quidem ludente morbi levitate ac, ubi intimum animum perpexeris ad rem, in eandem fere cedens tum Tissot, tum Aepli, in auxilium utique vocato ignoto quodam principio (το θειον 1)), „subtiliore quodam principio (v. p. 33.) P. Frank, ac simili fere Boyer. Patet hinc inde, in re convenire eadem plerosque, verborum modo alia aliis usitata comprehensione. Pauciores alii tutiorem sibi habentes tramitem metaphoricum ad linguae grammaticam analogiam 2), dolosam malunt accusare insidiositatem, ut cum Wedelio et Nicolai, Friedlaender. Alii tanquam καθολικοι, omnium attributa colligere malunt: de Haen, Blanchard et Conradi. Utrinque vero rem ipsam vix clariorem redundare, haud est quod ulteriore egeat monitu: neque pluribus Foesii et Gorraei repetenda morborum, quibus refractariis impedita vel nulla est curatio; notione iam a Castellio satis reprehensa.

Restant, quae haud ita procul invicem absunt, duae malignitatis notiones: status putridus et gangraena spontanea. Illius iam tenemus vestigium a prae-

1) Borkheim l. c. p. 331. 2) v. Forcellini tot. lat. lex. et Gessner. thes.

cone nimirum chemicae scholae, Paracelso, qui relicta maliguitate post Hippocratem et Galenum (cuius 'ακρισια, qua essentialis illius nota, ut vere dicam, plus haud, nisi ὕστερον πρότερον saepius iam reprehensum, valet) a sequioribus Graecis (v. p. 13.), repetita sub ista ipse iam primigenium cacochymiae latentis igniculum suspicatus erat, serpentem iam Lindenio ad putredinis dissolutionem usque, neque unum hunc solum, sed multos potius nactus sectatores, qui modo alio, modo alio nomine praetecto, ipsius vestigia premebant. Evoluta enim varii verborum velamenti dissimulatione prorsus in apertum unum fere hi omnes redeunt, qui cum eodem, expressis verbis, sive primitus sive ex labefactatis viribus actionibusque vitalibus (ibi cum superioribus in nuperorum statum nervosum 1) convenientes) oriundam inde praestolantur dissolutionem putridam: Ballonius, Riverius, Fr. Hoffmann, Huxham, Siegwart, revocata serius malignitate (v. pag. 25.) Pringle aliique. Sed ista ipsa haud certum constantemve conciliari malignitatis indicem proficuum satis iam exacte deprehenderunt ill. Vogel, Richter, Harless, Borkheim et alii, quo satius quid nec sapere valeam nec ausim proferre: quum ne ipsum quidem putridarum febrium genus e controversiis supra memoratis integrum evadat.

Gangraena autem illa spontanea, ut malignitatis testis, cui tum in morbis istis s. d. chirurgicis, tum potissimum in angina maligna s. d. aliisque inflammationibus locum habent, in hac quidem admodum hybrida, (v. supr.) ad telam organi afflicti videlicet modificata, apparet: altera vero cum iam a Reil reprehensa, tum per se native deducta a Borkheim, neque in primaria hac specie, quae carbunculo e. rel. contingere videtur, ex Boyeri principio ignoto gravioris aliquid proficit, necdum aliorum ex sententiis in propatulo iacet, utrum crisios (quae qua talis per se nimirum malignitatis nota esse nequit) sit dispendium variegatum pro varia partis invasae organisatione, necne. Hinc oblata nec rara ibi contagiosa nota, qua malignitatem quidam deprehendi voluerunt: Hamilton, Eller, Chambert) iam a Vogel, Richter, Borkheim ad

1) cf. Borkheim l. c. p. 331. et Berends l. c. T. 4 p. 6—7. p. 74.

aequum censum, quo tali normae haud suppetat, est vocata: ut clare hisce omnibus perpensis eluceat, neque hoc neque alio respectu ullam sui generis dignitatem malignitatis, potissimum Aeplio et Elsnero comprobatam, revera constare. —

IV.

Quodsi igitur ad disciplinae modum malignitatis notioni nulla sui iuris dignitas, nullum pretium scientificum, ut ita loquar, attribui potest, iuvenilem tamen me arbitrum neutiquam decet, rem ipsam veram (quam vox modo fallax abscondat) omnium saeculorum experientiae probatam, denegare proterva fronte vel ut in proverbio est, cum futilibus respuere utilia. Illud enim sincera quidem mente professus, nihilosecus nolim subire eius speciem, cui nimium probanti nil probari dicunt. Quatenus pro tenui virili parte ingenii mei, quod sentio, quam sit exiguum, veritatem perspexisse mihi videor; haud possum nimirum, quin hoc quantulaecunque tesserae meae suffragio, malignitatis vocem ut per se vagam, immo fere vanam, nullatenus essentialem vel necessariam, ac nocivam iam factam, a nosologiae foro et quidem citra ullum artis damnum removendam esse profitear. Nam ex termini huius nomine neque causa morbi realis formalisve, neque natura, neque curandi methodus insignitur. Praeterea abundat cum universae nostrae artis, tum rei huius propositae historia exemplis, quibus probatur, esse naturae humanae: nomine videri prorsus satisfieri, re percepta nondum satis vel falso, unde haud unum iam damnum ars nostra cepit. Accedit, quod nunc temporis haud unius morbi natura e malignitatis tenebris in clarioris cognitionis lucem evocata nobis 1) contigit: sed, quo minus inde malignitati est dandum, eo magis cavendum, ne denuo praetecta olim verbi simulata quasi paries prohibeat, quo minus artis nostrae utut restricti fines latius proferantur. Ita enim fore spes est, ut quae retinenda esse monitum supra velim ex malignitati sortita olim provincia, nempe cum morbo tum homini fere cuivis singula propria curatius in dies indagata fugent malignitatem, quam „peculiarem cuivis" praeclare, sua mente, Stoll notavit. Infitias enim iri nequit, esse, praesertim novis sub

1) Borkheim l. c. p. 344.

epidemiis obvias proprietates cum externarum inprimis rerum (quas cosmicas dicunt), tum iuternarum, „quibus undique metiendis neque barometron neque thermometron sufficiant.“ Quae vero potentiae si populares factae summa saevitia publicam parant calamitatem, malignitas haud est, qua contagiosa perperam clamata res in apertius meliusve cedit. Idem paene locum habet de perspecta nondum natura morbi haud unius proprietatum, quae olim malignitati competerint, ut intestinalis inflammationis periculum minax nonnunquam ex typho sporadico, sive idem cerebro ex scarlatina vel alio visceri ex alio exanthemate. Cuiusmodi res sollertissimorum virorum omnis aevi experientia constitutae malignitati subtrahantur, haec ipsa vero mittatur, necesse. — Quo enim amplior firmiorque olim artis nostrae notitia, eo angustior profecto malignitatis ambitus! —

VITA.

Ego, Ignatius Braun, natus sum anno MDCCCVI. Glogoviae in Silesia inferiore, patre Salomone, quem senem quidem, praematura tamen morte mihi ereptum lugeo semperque lugebo, matre Ernestina e gente Sachs, qua dilectissima superstite adhuc gaudeo, fideique addictus veteris testamenti. Primis litterarum rudimentis domi instructus, Hirschbergae, quo sexto iam aetatis anno cum parentibus migraveram, in gymnasio t. t. sub beati Koerberi auspiciis florente per octennium litteris humanioribus incubui. Inde maturitatis testimonio rite impetrato, quum arti salutari vitam dicare constituissem, almam adii Viadrinam Vratislaviensem mense aprili MDCCCXXV, qua in laeta musarum sede ab. ill. Wendt t. t. rectore magnifico in academicam civitatem adscitus, et ab ill. Benedict, t. t. decano maxime spectabili, in medicinae studiosorum numerum, hosce audivi viros disserentes:

Ill. Steffens de hodegetice, de electricitate et de magnetismo, Ill. Branis de logice, Ill. Passow de Xenophontis; συμποσιον, Ill. Wachler de historia litterarum tum antiquarum, tum Germanicarum, de historia Europaeae, Ill. Brandes de algebra, de physice, Ill. Klose de encyclopaedia medica, Ill. Treviranus de botanices elementis, de physiologia plantarum, Ill. Otto de osteologia et syndesmologia, de anatomia C. H. theoretica et practica, comparata et pathologica, nec non de sectione forensi, Ill. Fischer de chemia cum theoretico-practica, tum pharmaceutica, nec non corporum

organicorum, Ill. Henschel de plantarum physiologia, de pharmacologia, de pathologia speciali morborum acutorum, de medicinae historia, Ill. Purkinjie de physiologia C. H. experimentis illustrata, de pathologia generali, Ill. Wendt de materia medica, de toxicologia, de therapia speciali, de morbis syphititicis, Ill. Seidel de pharmacopoea Bor., Ill. Remer de methodo formulas rite concinnandi, de therapia generali: nec non clinicis eiusdem viri nunquam satis venerandi scholis medicis interresse mihi contigit; Ill. Benedict de chirurgia, de akiurgia, de ophthalmiatrice et de arte fascias rite applicandi: neque huius praecl. viri scholis defui clinicis chirurgicis, Ill. Seerig de ossibus fractis et luxatis: Semper quod Vratislaviae degi tempus, propter summam in me praeceptorum benevolentiam, memoriae meae recenserit: prae omnibus viros illustres Remer, Wendt et Purkinjie, propter mire in me benignum animum, in aevum habebo non satis colendos. A. MDCCCXXVII Berolinum profectus ibique mense Octbr. ab ill. Lichtenstein, t. t. fasces tenente inter cives academicos, ab ill. Rudolphi, decano i. t. maxime spectabili inter med. studiosos receptus, hisce interfui scholis: Ill. Schlemm anatomicis, Ill. Horn morbos psychicos, Perill. Hufeland morbos nervosos, Ill. Rust, et Ill. Jüngken oculorum morbos, Ill. Kluge ossium fracturas et luxationes, artemque obstetriciam tum theoreticam, tum practicam, Ill. Bartels Hippocratis aphorismos exponentis.

Praeterea Generosissimus de Graefe et Ill. Rust institutionibus clinicis chirurgicis; Ill. Bartels exercitationibus clinicis medicis, et ophthalmiatricis Ill. Jüngken benigni mihi ad aegrotorum lectulos duces exstiterunt.

Studiorum meorum omnibus auctoribus, quorum benigna opera eousque pervenire mihi contigit, ut examinibus coram philosophorum, dein medicorum gratioso ordine rite superatis edendae huius dissertatiunculae, ad capessendos summos in utraque medicina honores, veniam impetrarim, palam summas, quas in aeternum habebo, gratias intimo ex animo ago, eosque rogo iterumque rogo, ut hasce quantulascunque litterarum mearum primitias ea benevolentia acceptas sibi habeant, quae unicum iis ac summum erit decus. —

THESES:

I. Malignitas non est morbi genuina differentia specifica.

II. Neque oculorum morbi ex mera autopsia rite sunt diiudicandi.

III. In cataractae extractione keratotomia sursum versus praeferenda.

IV. Nulla vis absque materia.